

# THESES PHILOSOPHICÆ,

QUAS,

APPROB. AMPLISS. FAC. PHILOS.

STIPENDIARIIS TAM PUBLICIS QUAM PRIVATIS

DISCEPTANDAS SISTIT

STIPENDIARIORUM H. A. INSPECTOR,

**ANDREAS JOHANNES LAGUS,**

*Theol. Doct. Phil. Pract. Professor, Imper. Ord. de S:to Wg-  
lod. in IV Classe Eques,*

RESPONDENTE

**GABRIELE GEITLIN,**

*Stipend. Publ. Bor.*

In Auditorio Philosophico die V Octobris MDCCCXXII,

horis a. m. solitis,

---

ABOÆ,

ex Officina Typographica FRENCKELLIANA.

*Thesis I.*

**A**nimum mentemque extrinsecus impellere quæ videntur res, infinite multiplices & variæ, accuratius si examinentur, non eas per se vereque esse, quæ esse nobis apparent, facili observatur negotio. Easdem enim res, pro variis rerum circumstantium conditionibus diversum, diversasque inter se eundem sensum efficere, quis est vel paululum attentior, qui non animadverterit? Et tanta est in sensu varietas, ut vix duos reperias, in quibus una sit eademque percipiendi vis. Neque minorem, ac in perceptionibus, in rerum, quæ animo obversentur, formis, vel usus vitæ communis cernendam præbet inconstantiam, quotidie confirmans, fluxas adeo mobilesque esse res, ut nulla fere, quod paullo ante fuisse visum fuerit, idem in præsentis esse dici possit.

*Thes. II.*

Exploratum habemus compertumque, patefieri nobis illud res inter commercium, ut, causarum in modum & effectuum, inter semet connexæ, altera ab altera pendeant, seriem exhibentes, cujus vel initium vel finem, vel in quo saltum, ne sagacissima quidem in observando sollertia invenire umquam valeat: item quæri perpetuo causam causæ, ambitu sensuum comprehensæ cujuslibet superiores: unitatem investigari, in quam coire tandem res variæ multiplicesque debent: genus summum, quod idem, ut unum, non aliud sibi socium adjungat: unum ex omnibus principiis, ad quod, tamquam primum, media atque extrema redeant. Quæ omnia ultra sensuum vertuntur forum, in quo natura, multiplex in virtutibus, feracissima est mutationum mater, non secus ac flumen, ubi unda undam sequitur, novas perpetim molientium; & plus quam satis est, declarant, esse quandam in nobismet, ratione præditis divina, quasi lucem lumenque vitæ admirandum, se finibus naturæ nequaquam continens, neque infinito causarum ordini subjectum, animum ad id, quod semper sui simile, pro

proprie vereque est, quod per se sibi constat, ducens, viamque per gyrum rerum fortuitarum multiplicem variumque monstrans unice rectam.

### Thef. III.

Inter primaria, naturam generis nostri prædientia animali infinitum quantum superiorem, phænomena, est sensus officii, indivulsus humanæ comes conscientiæ, mox ubi a cæco naturæ ductu immunis, sibi ipsi committitur homo. Qui quidem sensus necessitatem licet innuat, atque in coactione cernatur, quam numquam non agnoscere tenemur imaginem Absoluti referre iusti, a physicæ tamen eousque distat naturæ vi aliena, ut non tantum facultatem, præcepto cum morem gerendi, tum idem negligendi, aperte indicet, verum etiam potestatem, de imperio quocumque alieno ita triumphandi, homini datam esse manifestet, ut in ipsa libertate hæc, ad quam, ut loquantur Pandectæ Sacræ, *vocati sumus*, tuenda & vindicanda præcipua cernatur dignitas humana & honestas. Existimaverimque, morum doctori, quocumque demum loco positus fuerit, nihil sanctius esse, quam ut in illam stationem semet ipsum & ab ore suo pendentem evehere annitatur, in qua suum, utpote hominis liberi, characterem, viva mentis acie perspiciat; ne sit scientia illa, quæ alma erit actionum moderatrix humanarum, *γραμμά, ὁ αποκτείνει, ἀλλὰ πνεῦμα, ὁ ζωοποιεῖ.*

### Thef. IV.

Hominum neminem, ne pessimum quidem, malum, ex qua demum cumque norma egerit, propter ipsum malum perpetrare, ita ut contra legem moralem rebellium facere censendus sit, statuimus. Quin potius, vi naturæ, quæ homini competit, moralis, ita semet cuius obrudit hæc lex, ut nisi alius esset elater, huic oppositus, illam rationem arbitrii determinandi idoneam necessario agnoscens, summam actionum normam reciperet, moraliterque bonus foret homo. Jam vero idem, per initia naturæ, culpa itidem vacua, e sensualitatis eatenus pendet elateribus, ut ex principio philautiæ subjectivæ illos etiam normam sibi constituat. Sed neutrius elaterum generis, per se, si solum foret, ad voluntatem determinandam idonei utriusque, in se momentum exstirpare cum non queat homo, si e materie normarum, elateribus, penderet discrimen hominis moraliter boni malive, bonus malusque simul esset, quod sibi repugnat. Quod itaque discrimen non ex elaterum, quos normarum suarum fecerit moderatores, discrimine, verum ex eorum mutua ad se invicem ratione pendet: utrum scilicet alterius conditionem fecerit homo liber. Qui ergo vel optimus eo duntaxat malus est, quod ordinem

nem elaterum invertens, legem moralem quidem juxta νόμον ἐν τοῖς μέλεσι in normam suam recipit, at vero ἀντιστρατευόμενος non posse secum invicem reconciliari, sed alteram alteri ut supremæ suæ subjiciendam esse conditioni, animadvertens, elaterem philantiaæ ejusque inclinationes conditionem facit servandæ legis moralis, cum præceptum nobis ministret tam Ratio quam Revelatio: Ζητεῖτε πρῶτον τὴν βασιλείαν τῆ Θεοῦ καὶ τὴν δικαιοσύνην αὐτῆς.

*Thef. V.*

Elaterum hæcæ per normas, contra ordinem moralem, inversio, sentiendi rationem facile gignit, qua absentiam viti præ mentis cum lege convenientia, vel virtute, de semet ipso judicans habet homo; unde tranquillitas conscientiaæ multorum, ut sibi videntur, religiosorum, cum in mediis actionibus, in quibus lex non fuerit considerata, vel saltem non præ omnibus aliis valuerit, e malis, philantiaæ fructus haud raro consequentibus feliciter elabuntur, adeoque de merito laudeque opinio, quod nullorum ejusmodi peccatorum sentiant reatum, quibus alios videant oneratos, omisa exploratione, anne hoc fortuna debeat casuique. Quæ improbitas, maximum, ne consilium morale probum in nobismet oriatur, obstaculum, in falsitatem illusionemque aliorum semet facillime dilatat. Quæ tamen omnia non impediunt, quominus actiones ab homine patrari possint, cum lege pariter congruæ, ac si e genuinis ortæ principiis essent; unitatem normarum, legi morali propriam, si eoduntaxat observet agens, ut ad elateres, sub titulo felicitatis a propensione genitos, quæ illis alioquin non competit, unitas inferatur. Qui e. gr., observantia erga legem seposita, a fraude abstinuerit, a sollicitudine atque anxietate, flexuumque mole tortuosorum, falsimoniam quæ sequi possint, semet liberaturus, is characterem quidem præbet empiricum laudabilem & honestum, intelligibilis licet foedus sit. Ad quam quidem perverstatem quum propensio insit naturæ humanæ, quis neget, in homine propensionem ad malum esse naturalem? Quod quidem malum, quia principium normarum omnium corrumpit, radicale dici potest. Jam vero quoniam ad ipsum extirpandum bonis necessario opus esset normis, non est quod per vires humanas penitus umquam deleatur; at coerceri tamen potest, quippe cum in natura reperitur libera.

